

sponsis cap. XII. Gisbertus Voëtius nescit, quorsum tandem festum hoc referre debeat, & pag. 13. ita se explicat: Inter Romano-Christianos renata videntur Gentilium Saturnalia, Bacchanalia, Quirinalia, Lupercalia: Alibi etiam Hilaria addit. Hoc autem modo verum esset, apud Christianos in vigilia carnis privii omnia festa Ethnicorum simul celebrari.

§. X.

Specialis vero *Septimo* etiam ratio a *silentio Patrum* desumpta, considerata venit. Quamvis enim Patres Ecclesiæ sæpius Ethnicis Bacchanalia objecerint, imo & Christianos ob reliquias idololatriæ exinde fluentes, aut consuetudines iisdem analogas, reprehenderit; tamen, ab illis propter celebrationem festi Bacchi hæc speciatim his exprobrata fuisse, non legitur. Si enim festum hoc, proprie sic dictum, celebrassent, Patres non tacuissent. Objicies, Tertullianum Christianos generatim non tantum ob idololatriam Gentilium, sed & speciatim ob celebrationem Bacchanalium reprehendisse: *Nobis enim, dicit, (Lib. de Idolol. c. XIV. p. m. 173.) quibus Sabbatha extranea sunt, & neomenia, & feria aliquando a Deo dilecta, Saturnalia & Januaria & Brumæ & Matronales frequentantur: munera commitant, strena consonant, lusus convivia constrepunt.* Hic *Brumas* loco Bacchanalium ponit. Sed respondere ad hanc objectionem facile est. Unde enim probabitur, Tertullianum h. l. per *Brumas* Bacchanalia præcisè intellexisse? *Hospinianus* quidem certe *de Fest. p. 142. & seqq.* perspicue nos docet, *Brumas* ne quidem convenire cum Bacchanalibus, ne dicam ipsa esse Bacchanalia. Bacchus quidem etiam *Bromus* vocatur, sed non *Brumus*. *Brumalia* derivantur a *Bruma*, quod signif. *den kürzesten Tag im Winter.* Hinc *Martial. Lib. VI.*

VII.
A silentio
Patrum.

Bruma est, & riget horridus December.
Bromus vero a *βρέμειν* fremere, a fragore tonitruum scilicet, quæ in nativitate ejus excitata fuerunt. Hinc *Ovid. Lib. IV. Metamorph.*